



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Responsa De Ivre Canonico Præsertim Novissimo

Zype, Frans van den
Antverpiæ, M. DC. XLV.

De ædificandis ecclesijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73071)

quam nequeat ad ecclesiam absque periculo accessus haberi. nec excusat dignitas baptisantis. Syluius ibid. conc. 2. & 3.

De ædificandis ecclesijs.

RESPONSVM I.

De erectione novarum parochiarum.

1. Quando in proprijs terminis Concilij casus occurrit parochia erigenda est quam capella tantum.

2. Alioquin hæc tantum.

Quando sumus in proprijs terminis Concilij Trid. s. 21. c. 4. vt ob locorum distantiam, sine difficultate sine magno incommodo ad percipienda sacramenta, & diuina officia audienda accedere non possint incolæ ad ecclesias suas parochiales, nouas parochias etiam inuitis rectoribus Episcopi constituere possunt. & ex fructibus quomodocumque ad ecclesiam matricem pertinentibus competentem dotare; & si necesse fuerit compellere populum ea subministrare, que sufficiant ad vitam noui parochi. d. c. 4. nouas, inquam parochias: ita enim Concilium. alioquin vbi non sumus in proprijs terminis Concilij, nec ex distantia, aut difficultate, est magnum incommodum; plures baptismales ecclesiæ in vna terminatione esse non possunt: sed vna tantummodo cum suis capellis. c. plures. 16. q. 1. quibus tamen aliquando omnia parochialia tribuuntur; ita tamen vt in summis sollempnitatibus ac colæ in sua parochia comparere debeant. c. siquis etiam. de consec. d. 1.

Magno, inquam, incommodo: vtique iudicis arbitrio, seu boni viri: non equidem delicata censura. & ne sibi quidem commoditates aucupentur magis, quam vt necessitati satisfiat. cuius causæ aliquid subfuisse videri potest in ea decisione quæ retuli in Consult. can. h. i. cons. 1. s. sed & idem. cui consonas s. unde si. ideoque reijciendam censui ad arbitrium Iu-

dicis. tam quod non omnia in capellis fiant, ad quæ parochiani tenentur ex iure communi; & Tridentino; quàm quod magna sit distantia inter pastorem; cuius sunt oues propriæ; vt instituitur in nouis parochijs; & sacerdotes qui in capellis; nec omnia præstant, nec tanquam suis plenius ergo satisfcit magno incommodo per erectionem nouæ parochiæ, quam per capellam. eaque in casu magnum incommodi mens esse videtur Concilij Tridentini.

Sola quidem distantia, aut itinerum difficultas refertur in d. c. 4. & c. ad audientiam. X. hoc tit. sed c. fin. X. hoc tit. generalioribus vtitur verbis: in locis; inquit, in quibus populi habitantes oratores egere videntur, super basilicarum institutione studeas salubriter providere. quàmquam ea generalitas ferè reducenda videatur ad d. distantiam, aut difficultatem: nisi fortè populus ita excreuerit, vt vetus ecclesia totum non capiat. tunc enim vel nouæ ecclesiæ ædificandæ, vel veteres augendæ sunt. c. precipimus. 16. q. 1. nam rerum mutationes vnionem, separationemue postulant. d. c. precipimus. c. & temporis qualitas. 16. q. 1.

Atque hæc iterum, cum secundum terminos Concilij, noua parochia dotari petitur ex fructibus matricis; iuxta d. c. 4. aut obuentiones ecclesiasticas intra terminos nouæ parochiæ eidem assignari, iuxta d. c. ad audientiam. sed si quis in sua proprietate voluerit ecclesiam ædificare, de Episcopi consensu licitum est. ita tamen vt maneat matrixi sua iustitia, & decima. c. quicumque. 16. q. 1. & sic in c. 2. X. hoc tit. leprosis propriam parochiam erigere permittitur: ita tamen vt inuicem veteribus ecclesijs de iure parochialis nequaquam existant. quamquam ex pietate illis ibidem, conceditur, vt de horris, & nutrimentis animalium suorum decimas tribuere non cogantur. quæ exceptio, seu priuilegium

3. Necessitas non commoditas tantum exigitur.

4. Nisi de suo aliqui ædificare & dotare velint.

legium in reliquis iuribus parochialibus firmat regulam, seu legem communem.

5.
Aut saltem
non de
fructibus
Rectoris
matricis.

Sed quid si neque præstō sit aliquis, qui ædificare velit ecclesiam, ut in d. c. ad audientiam d. c. 2. sed existet vetus capella, & in ea fundatum beneficium, ac decimis à fundatore dotatum: cui tamen ius patronatus non est reseruatū; petaturque eadem capella in parochiam erigi? & Concilium Trid. generaliter inquit, *novas parochias constituere possint*, novam fabricam non desiderat: sua ergo matrici iustitia servabitur, & decima. quare cum rectori matricis nihil decedat, non capella tantum, sed & nova parochia erigi posse videtur. d. c. fin. d. c. 2. d. c. quicumque.

Itaque ubi Episcopus iudicat necessariō parochiam erigendam, ratio suffragatur, ut eidem providere possit ex fructibus matricis si abundat. d. c. ad audientiam. V. V. Ames. de paroch. cons. 437. n. 3. aut alioquin secundum c. 13. §. in paroch. eiusdem Concilij Trid. §. 24. eoque erectæ ex capella parochiæ unire beneficium in illa fundatum. cuius etiam decimæ, postquam ad ecclesiasticam foundationem redierunt, quadantenus censentur ad matricem pertinere; ad sensum d. c. 4. ita tamen ut onera deducantur à fundatore imposita. l. mulier. D. de tur. dot. l. fructus. D. sol. mat. l. 1. C. de fruct. & lit. exp. c. presenti. §. fin. de off. ord. in 6.

6.
An non
possit tan-
tum, sed &
debeat
Episcopus
hoc casu
erigere pa-
rochiam?

Sedposito, quod simus in terminis Concilij Trid. an non possit tantum; sed & teneatur Episcopus erigere novam parochiam? sanè ita statutum est in c. ad audientiam in verb. mandamus, quatenus si res ita se habet, ecclesiam ibi ædifices, & in ea sacerdotem instituas.

Porro Concilium Trid. d. c. 4. non tantum erectionem novarum parochiarum iubet fieri secundum d. formam d. c. ad audientiam, adeoque eius decretum innovat, sed etiam ipse contextus indicat

præcipi ipsis Ordinariis, ut necessitati populorum provideant secundum diversam singulorum exigentiam. Utitur autem Concilium modo imperativo; cogant, inquit, Episcopi: quod non arbitrium liberum; sed præceptum continet. clem. exiui de par. adiso. §. item quia præterea. de verb. signifi.

Idem Concilium quidem videtur in secundo membro verbo, possint, seu quod respiciat ad regularem prohibitionem erigendarum novarum parochiarum, ut hoc casu distantia, & aequalitas possint; seu, quod addit, nec exprimebatur in d. c. ad audientiam, ut in iuris etiam rectoribus novas parochias constituere possint; & portionem assignare suo arbitrio congruam. adeo ut, quamvis fere ante receptum erat erectionem novæ parochiæ fieri debere sine præiudicio possessoris; Rebuff. in præf. benef. de erect. eccl. in curiam non absolute id nunc obtineat, sed, sicut in primo membro cogit pastores suo sumptu tot sacerdotes assumere, quot necessitati sufficiant; ita in secundo possint in iuris rectoribus novas parochias constituere, & ex proventibus illorum eas dotare. imò, si ob illorum defectum id fieri nequeat, ex alijs quomodocumque ad ecclesiam matricem pertinentibus, aut demum populatum compellere ea subministrare, quæ novo parochio sufficiant. d. c. 4. adeo ut d. c. 4. eadem fere ratione de dotanda nova parochia loquatur, sicut idem Concilium §. 24. c. 13. §. in parochial. in retere.

Quod si ergo parochiani d. rici, qui ultimo demum loco tenentur, offerrent necessaria novo parochio subministrare, donec aliunde assignata erit congrua dos, per eos, qui de iure teneri declarabuntur, non manet iustum dubium quin ex nunc teneatur Ordinarius novam parochiam erigere, & dotem partibus postea auditis assignare, super

super prouentibus ad matricem ecclesiam, seu parochum, iuxta d. c. ad audientiam. & d. c. 4. vel per assignationem decimarum, vel per vnionem d. capellanæ, aut quam aliam commodiorem rationem prouidere. iuxta d. 6. in parochialibus. quod si Episcopus citra iustam causam officio desit, per appellationem aditus superior supplebit.

Quod si Ordinario non videbitur casum sibi occurrentem spectare ad d. c. 4. s. 21. Trid. d. c. ad audientiam potest iuxta prius membrum d. c. 4. in capella statuere sacerdotem, qui parochi ibidem vices suppleat, dum incolæ ad parochialem accedere non poterunt. & beneficio illud onus imponere. c. significat. 11. X. de preb. quia omnia beneficia diocesis subsunt ordinationi Episcopi. c. omnes basilice. 16. q. 1. c. sunt vni re. X. de excess. prelat. Vtique sine præiudicio possessoris: scilicet ne ipsi fructus minuantur, aut onus vita eius durante ab eo subeundum sit. præiudicium autem, quod non æquè deinceps permutare possit, considerabile non est, quia ius ei non est permutandi. c. quæsum. X. de permus. sed arbitrium Episcopo ibid.

De consecratione ecclesiæ.

RESPONSVM I.

De ceremonijs positionis primarij lapidis non repetendis.

^{1.} Ecclesiam quis consecrat, & quam? **E**ccliam ritè constructam atque dotatam consecrat, consecratamue pollutam reconciliat solus Episcopus: c. nemo. de consecrat. dist. 1. loci: c. tua. X. de consecrat. eccl. præsertim hodie: c. 5. s. 6. Conc. Trid. vt nec delegari possit simplex sacerdos. c. aqua. X. de con-

sec. cum ea res sit Ordinis: quæ non nisi Episcopo delegatur. ibid. & c. quamuis. dist. 68. et si praxis reconciliatione delegari alicubi permittat. Syluius in 2. p. D. Thom. 9. 83. n. 3. quam tamen improbat d. c. aqua. die etiam non festo: d. c. tua. sacrificio missæ per Episcopum in consecrata ecclesia peragendo. c. 2. in verb. ab Episcopo & non à chorepiscopo. de consecrat. dist. 1. ex ecclesiæ præcepto. tamen si alioquin non desinat esse rata consecratio Syluest. in v. consec. 2. n. 1. quamuis hodie Pontificale habet, vt Episcopus celebret, vel coram se faciat celebrari.

Consecranda autem est ecclesia, quæ ambigua est de consecratione. c. ecclesia. de consec. dist. 1. dum neque scripturâ, neque testibus illa probatur: c. solemnitates. ibid. (facilè autem scripturâ in pariete exarata, crucibus, alijsque signis creditur. Panorm. in c. proposuisti. X. de consec. eccl.) vel si parietes ex toto vel maiori parte simul corruerint. c. de fabrica. de cons. d. 1. nam si per partes diuersis temporibus lapsa & restituta fuerit ecclesia, instar sapius resectæ nauis. proponatur. D. de iudic. pro eadè habetur. quod pars reliqua consecrata, vt dignior, nouam ad se trahat. vt oleum consecratum mixtum non consecrato. c. quod in dubijs. X. de consec. eccl. Denique si parietes in ecclesia toti, vel maiori ex parte fuerint combusti, vel abrafi. quod pars, quæ chrismate fuerint inuncta, deciderit. Panorm. in d. c. proposuisti. non autem si tectum, aliæque edificia lignea, parietibus illæsis, fuerint consumpta. c. lignis. X. de consec. eccl.

Altare autem iterum consecrandum est, cum tabula mota fuerit, vel enormiter fracta; lapis motus, qui sigillum continet. c. 1. 3. 4. X. de eccl. consec. si manentem autem ecclesiâ seu altare polui contingat; reconcilianda tantum est. d. c. 4. & fin. X. de consec. eccl.

Quæ-

2. Quando.
3. Cum missa.

4. An dubia de consecratione?

5. Collapsa, an abrasa?

6. An sepius restaurata?

7. Altare quando iterum consecrandum?